



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Libellus Sodalitatis: Hoc Est: Christianarum Institutionum Libri quinque**

**Coster, Franciscus**

**Antverpiæ, 1587**

13 De attentione in oratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46553](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46553)

## DE ATTENTIONE IN ORATIONE.

**O**RANTI Deū necessaria est attentio ad orationem, ne mens huc illucq. vagetur. Est autem attentio triplex. Prima ad verba, vt ea rectè efferantur: secunda ad significationem, vt homo intelligat ea, quæ profert: tertia ad Deum, qui oratur, & rem ipsam, quæ petitur. Atq. hæc postrema est præstantissima, quæ & doctis simul & indoctis conuenit, Deoq. est acceptior, vtpote cū quocor hominis coniungitur. Hæc enim attentio haberi potest ab illiteratis, dum Latine orant, tametsi verbum nullum orationis intelligant, quia sufficit vt Deus intelligat, qui oratur, vtque ad eum mens & desideria ferantur.

## CAPVT XIII.

## DE EVAGATIONE IN ORATIONE.

**I**N oratione tribus de causis hominē vagari contingit. 1, Sponte sua, dum cogitationes externas accersit, aut aduenientes sciens atq. aduertens admittit, in iisq. heret. Quo in genere etiam sunt illi, qui opus aliquod orando præstant, quod peculiarem mentis attentionem requirit: veluti est scribere, legere, rationes subducere, &c. Alia opera externa, quæ attentionem peculiarem non requirunt, non impediunt orationem: vt sarcire, ambulare, secare, &c.

E s Hoc